

sonis nobilibus tantum; aut Religiosis commorantibus in istem domibus, seu grangiis, in quibus sunt ipsa Oratoria privata. Igitur Campanæ non sunt in eis ponendæ, seu erigendæ; quod aded prohibuit censis debet, ut neque Episcopus possit dare licentiam pro ipsis Campanis in Oratorio privato ad publicam pulsationem erigendis; cum Episcopus non valeat agere contra Sacros Canones, ut docent Barbofa de Episc. allegat. 33. n. 16. & seqq. Jordanus tom. 2. lib. 9. tit. 1. n. 68. & Fagnanus in cap. Canonum statuta n. 121. De Constitut. nec non in cap. Dilectus an. 2. usque ad nu. 22. De Temporib. Ordinat.

Quo ad Quartum caput Decisionis hujus, in quo de Campanis supernaturaliter est agendum; lubet referre plura exempla virtutum supernaturalium, quæ prodire, & in diem prodeunt ex Campanarum benedictarum sonitu. Primò pulsatio Campanarum terret demones, & eos in fugam convertit. Lepida est historia, quam ex Petro Abbate Cluniacense refert Delrius Disquisit. Magic. lib. 6. cap. 2. sect. 3. in fine, nec non Guacius in Compendio Maleficar. lib. 3. tit. De Sonitu Campanar. diabolom tenta se novitium, ut discederet à Monasterio, & secum abiret; cumque multis blanditiis ad fugam hortaretur, Superior Monasterii Campanulam pulsavit; cujus sono perterritus diabolus ecurrit, ut se absconderet, & in latrinis proximas se coniecit. Subdit autem Delrius ubi supra: Quotidie fatentur malefica; & quando à demone ad contentus feruntur, signum campana audientur; confestim demones ipsarum basulos spurcum onus in solum dejicere, & supra trepidos dilabi. In hujus rei confirmationem narrat lib. 2. quest. 16. Vers. Probatur etiam, pag. 130. ex Paulo Grillando lib. 2. de Sortileg. q. 7. Anno 1524. mulierem maleficam, nomine Lactetiam dum ex congregatione Iadorum à demone deportaretur domum, audito Campanarum pulsu, statim à prædicto vectore projectam, & relictam fuisse propè fluvium in agro spinis obfuso; ubi facta mane reperta fuit nuda à juvene inde transeunte. Secundo pulsatio Campanarum impedit ingruentes tempestates, fugatque & aliò depellit. Testimonia plura habentur de hac supernaturali virtute Campanarum relata à Scriptoribus Ecclesiasticis, & cum data per Bagattam de Admirandis Orbis Christian. tom. 1. lib. 3. cap. 2. Append. 1. inter quæ notantur Campanæ B. Raymundi Abbatis Titerii; S. Dominici Abbatis juxta Soram; S. Genovefæ Parisiis; S. Petri Cælestini Aquilæ in Aprutio, B. Bennonis Misnensis Episcopi; S. Francisci de Paula in Cœnobio Mylæ transfretum Sicilia; S. Turibii Limenfis Archiepiscopi; & inter cæteras mirabiles sunt Nolulæ duæ sanctæ domus Lauretanæ, quæ in ea erant appensæ, quando à Cælestibus Spiritibus illa Sacra Nazarethana ædícula fuit Lauretum portata; quoties enim oboritur tempestas, aut turbo cælum miscet horrifonis fragoribus, statim ac ab æditibus pulsantur, illic nimbos compescunt; & undique ferent aer. Tertio Campanæ de per se sæpè sonuerunt, nullo hominum eas trahente, ut servi Dei honorarentur; quod constat exemplis relatis ab eodem Bagatta d. tom. 1. lib. 5. cap. 4. §. 2. inter quæ illud ex Ughello in Italia Sacra tom. 4. quod ingrediente Romam, ad sacrorum liminum visitationem, S. Columbanus Abbate, tempore S. Gregorii Magni, omnes Campanæ Ecclesiarum Romæ, nemine tangente sonaverunt. Idem prodigium ex Torello in Hist. Augustin. anno 706. dum Sancta Pega Romam devotionis causa intraret. Quotiescumque B. Gundisalvus Abbas Monasterium suum intrabat, ultrò pulsabat Campanæ; prout etiam quodcumque S. Bernardus Episcopus Viquensis revertetur in suum Episcopium; & de his plura apud Bagattam d. §. 2. Quarto non solum Servis Dei viventibus honorem hunc Campanæ, de se sonantes impenderunt; sed frequenter istdem defunctis: hinc in translatione cor-

porum S. Martini Turonensis Episcopi; S. Isidori Agricole, S. Romualdi Abbatis, & plurium aliorum supernaturaliter visæ sunt Campanæ de per se sonare, ut d. §. 2. à num. 3. §. 10. Et seqq. ex Historiis Ecclesiasticis ipse Bagatta demonstrat. Quintò, sed non minoris prodigii sunt, quæ narrantur de Campana in conventu PP. Prædicatorum Salerni in Sicilia, quæ de se sonat, cum brevi aliquis religiosus ibi est moriturus, ut narrat Masinus in Schola Christi. cap. 43. pag. 396. & confirmat Antistes Sarnellius in Basilicograph. d. cap. 50. n. 29. subdens prædictam Campanam vocari Campanam S. Thomæ de Aquino. Similes sonitus supernaturales denuntiantes proximum obitum Monialium, vel Abbatissæ haberi in Monasterio Bodkenfi; & in alio Istriz, testatur idem Masinus ibidem; atque Menochius in Storeis part. 2. centur. 6. c. 42. His similia cumulat Bagatta d. lib. 5. cap. 4. in Appendice. & tom. 2. lib. 6. cap. 1. Append. 1. num. 15. & 16. Sextò ad implorandam opem orationum pro periclitantibus in mare, imminente naufragio; sonat de per se Campana Collegialis Ecclesiæ S. Amatoris Christi discipuli, in Arce dicta S. Amatoris in Gallia; referente eodem Sarnelio in Basilicograph. d. cap. 50. n. 30. & Magrio in Hierolexic. verb. Campana, col. 5. in fine; ubi subdit, quod in dicta Arce custoditur, & conservatur famosus ensis Orlandi, appellatus Durlindana. Scribit quoque Leonardus Vairus lib. 2. de Fascino, cap. 14. quem refert Menochius in Stor. centur. 6. cap. 42. quod in Hispania in Celtiberia oppido Villila Campana est, quam vocant incolæ Campanam miraculorum, hæc per aliquot menses priusquam Respublica Christiana aliquid adversè patiatur, ex se ipsa, nemine pulsante, sonare solet; quod ex aliis auctoribus indicat etiam Magrius d. verb. Campana col. 5. & Barbofa d. lib. 3. Voto 102. n. 27. nec non Bagatta d. tom. 1. lib. 5. c. 4. in Appendice num. 7. ubi de eadem Campana subdit, quod de se sola insonuit anno 1527. cum acciderit direptio, seu depopulatio Romæ tempore Clementis VII. Sic antequam in eodem Regno Cesar-Augustano anno 1564. subiretur vehemensissima pestilentia. Itidem ea insonante anno 1601. 13. Junii usque ad 30. diem ejusdem mensis, interpolatis temporibus, varii eventus in diversis mundi partibus evenere. Item sonum spontè edidit pridè, quam capti essent Aragonie Reges; & iterum sonavit quo tempore composito Mediolani fœdere, Aragonius in libertatem est restitutus. Diciturque tandem insonuisse hæc campana proprio motu, dum Carolus V. Imperator, & Regina Anna uxor filii ejus Philippii mortem obierunt. Plura de his apud eundem Auctorem.

Corollarium loco non est omittenda notitia duarum Campanarum immensæ, ut ita dicam, molis, ac magnitudinis. Una est, quæ à P. Athanasio Kircherio in sua Musurgia fol. 522. vocatur omnium Campanarum Regina, scilicet Campana Erfordiensis, quam etiam dicit, non solum Germaniæ, sed totius mundi maximam. (Est autem Erfordia, vulgò Erfurd, urbs ampla, & munita Germaniæ ad fluvium Seram, olim sui penè juris, sed ab Electore Moguntino vindicata, ipsi subest ab anno 1644.) In hac itaque urbe est prædicta maxima Campana ærea, cujus altitudo est octo cubitorum; Diameter septem; Peripheria cubitorum viginti sex. Craffities digitorum sex cum dimidio; pondus autem librarum vigintiquinque millium quadringentarum.

Altera est Campana plus quam maxima Pekinensis. (Peking, seu Pechinum, aut Pequium, est urbs amplissima, Imperii Sinarum caput, innumere referta incolis, quæ nunc subest dominio Tartarorum.) De hac Campana extat Epistola P. Ferdinandi Verbiist ex Pequino ad P. Gruborum data in Singansu anno 1663. & impressa in China illustrata (erudit scilicet libro ejusdem P. Athanasii Kircherii,

cherii, typis publicato Amstelodami anno 1667. cum figuris plurimis hominum, litterarum, vestium, & aliarum, multiplicium rerum Sinenfium) in quo part. 5. in fine pag. 244. ponuntur effigies atriulque Campanæ Erfordiensis, & Pekinensis. Hæc autem superat in magnitudine Erfordienfem, quamvis ab illa superetur in pulchritudine. Itaque Campanæ Pekinensis pondus est librarum centum vigintimillium. Ejus altitudo est duodecim cubitorum. Diameter orificii, sive basis decem cubitorum. Groffities corporis campanæ novem digitorum. Peripheria exterior trigintanovem cubitorum. Cubitus autem Sincicus dividitur in decem digitos, quorum novem æquivalent pedi nostro geometrico; aded ut prædicta Campana in altitudine sit ultra tresdecim pedes nostræ cum dimidio. Quàm utilis, & delectabilis est Lectio Historiarum! Et hæc sufficiunt de Campanis, & Campanilibus prornatu Ecclesiarum, & pro convocandis fidelibus ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Quia non licet Sacrificium Missæ peragere in Ecclesia profanata, violata, seu polluta: agitur de Ecclesiarum profanatione, violatione, & pollutione. Docetur, quid sit Pollutio Ecclesiæ. Quæ loca sint pollutionis capacia? Quæ actiones Ecclesiam polluant? & late deservit de homicidio facto in Ecclesia, de effusione sanguinis, & semini humani, & de sepultura infidelium, atque excommunicatorum. Declarantur effectus pollutionis, & quæ functiones sint prohibite in Ecclesia polluta? Reconciliare Ecclesiam pollutas quis possit? Quidquid disputant DD. de Ecclesiis pollutis, hic reconditur; additis historiis, & eruditionibus multis.

SUMMARIUM.

- 1 Missæ Sacrificium non offerendum in Ecclesia violata.
- 2 Ecclesia quot modis violatur?
- 3 Profanatio Ecclesiæ quæ, & quotuplex sit?
- 4 Excommunicatio Papæ reservata contra fratræores Ecclesiarum.
- 5 Sententiæ in Ecclesia dari non possunt.
- 6 Actiones quæ licite sunt in Ecclesia, & quæ non? Congregationes, & Capitula artificum non sunt faciendæ in Ecclesia.
- 7 Laudi theatralis, & saltationes in Ecclesia prohibite.
- 8 Profanare Ecclesias quando liceat?
- 9 Præpositura SS. Trinitatis de Padua quando diruta Ecclesia.
- 10 Villa Turris, & Altiherii Rædiores cur exigant annuam Pensionem Duc. 24. à Præpositura SS. Trinitatis?
- 11 Moniales Eremitæ de Padua translate de Pontecurvo ad locum in Vantio.
- 12 Ecclesiæ profanata ligna, & lapides cui applicandi?
- 13 Exsecratio Ecclesiæ quid sit? & quomodo fiat?
- 14 Benedictionis Ecclesiæ, & Consecrationis differentia.
- 15 Pollutione quomodo profanatur Ecclesia?
- 16 Pollutio Ecclesiæ quid sit?
- 17 Macula moralis cur appellatur Pollutio Ecclesiæ?
- 18 Oratoria privata num pollui possunt? & n. 34.
- 19 Publica injuriosa actio polluit Ecclesiam, non occulta.
- 20 Publicum quid dicitur sex modis.
- 21 Publicum sit tripliciter.
- 22 Notorium quid sit? & Quotuplex?

- 24 Notorium quot personarum notitiam requirat?
- 25 Manifestum quid sit?
- 26 Famofum quid sit?
- 27 Occulta quando dicitur pollutio Ecclesiæ?
- 28 Pollutio Ecclesiæ à quo Jure sit introducenda?
- 29 Tabernaculum, & Templum Hebræorum quoties pollutum?
- 30 Effectus pollutionis loci Sacri qui sunt?
- 31 Differentia inter Censuras, & Pollutionem Ecclesiæ.
- 32 Loca Sacra capacia pollutionis, quæ, & quot sint?
- 33 Cæmeterium quando polluitur ex pollutione Ecclesiæ?
- 34 Oratoria est privata, in quibus litatur, sunt capacia pollutionis.
- 35 Pollutio Ecclesiæ an sit, si fiat in capellis, aliisve locis contiguis, & unitis Ecclesiæ?
- 36 Sacrificia polluta, an polluantur Ecclesiæ?
- 37 Pollutionis lex an sit odiosa, vel favorabilis?
- 38 Lex penalit quando late interpretetur? Et dicitur favorabilis?
- 39 Eucharistia olim servabatur in Sacrificia.
- 40 Paschophorium quid sit?
- 41 Sacrificia est locus Sacre, & pars integralis Ecclesiæ; capax pollutionis Ecclesiasticæ?
- 42 Pollutio Ecclesiæ ex quibus actionibus fiat?
- 43 Publicitas requiritur actionum pollutivarum loci Sacri.
- 44 Homicidium quoquomodo commissum in Ecclesia eam polluit?
- 45 Glosse opinio presertim opinionis aliorum Doctorum.
- 46 Valus illatum extra Ecclesiam vel in ostio Ecclesiæ an polluat illam?
- 47 Homicidium inculpabile non polluit Ecclesiam.
- 48 Dubius pollutionis Ecclesiæ casus decidendus arbitrio Episcopi.
- 49 Homicidium cum moderamine inculpate tutelæ in Ecclesia an eam polluat?
- 50 Homicidium in Ecclesia ex sententia Judicis illam violat.
- 51 Homicidium in Ecclesia ad defensionem bonorum, vel honoris utrum illam polluat?
- 52 Occiso Martyri in Ecclesia eam polluit?
- 53 Sanguinis modica effusio in Ecclesia An causat pollutionem?
- 54 Sanguis à naso percusso an polluat Ecclesiam?
- 55 Semen humanum effusum in Ecclesia quando eam polluat?
- 56 Copula carnalis prohibita in Templis etiam ab infidelibus.
- 57 Coitum exercitium in Ecclesia punitorum à Deo exempla.
- 58 Sepultura infidelis, aut excommunicati in Ecclesia eam polluit.
- 59 Puer non baptizatus à parentibus Christianis sepultus in Ecclesia an illam polluat?
- 60 Excommunicatorum cadavera divinitus ejectione & sepultura.
- 61 Ecclesia consecrata ab Episcopo hæretico an sit polluta?
- 62 Missæ non possit celebrari in Ecclesia polluta.
- 63 Hæc Canonica non recitantur in Ecclesia violata; neque Sacramenta administrantur, excepto Baptismo, Penitentia, & Viatico.
- 64 Prædicationes, benedictiones, aliæque publicæ functiones an in Ecclesia polluta sint faciendæ?
- 65 Sepeliendi non sunt fideles in Ecclesia, pollutione ejus durante. Et num clerici, & religiosi?
- 66 Pollutionem Ecclesiæ non servantes quas penas incurrant?
- 67 Reconciliatio Ecclesiæ tollit pollutionem ejus. Et à quo faciendâ?
- 68 Regulares an reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas?

- 69 Reconciliatio Ecclesie pollute an omitti possit iussu Episcopi?
- 70 Reconciliata an sit Ecclesia polluta, si in ea quis celebraverit Missam?
- 71 Ceteris reconciliatio semper committi potest simpliciter Sacerdoti.
- 72 Procuratio an debeatur Episcopo reconcilianti Ecclesiam pollutam?

Quoniam prohibitum est à Sacris Canonibus, si violetur Ecclesia, in ea Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, cap. Ecclesiam. 1. & 2. de consecrat. dist. 1. cap. 1. qui de sentent. excommuni. in 6. Violatione enim sequuta, organa divinæ laudis suspenduntur, ut dicitur in cap. fin. De consecrat. Eccl. vel Alt. Et officia Divina ante reconciliationem non sunt in ipsa persolvenda, cap. Duram. De Privilegiis. Neque corpora fidelium ibidem sepelienda. Cap. Unic. De consecrat. Eccl. vel Altar. Idcirco antequam ad ulteriora procedamus, agendum est de Ecclesie violatione; & sex circa illam sunt examinanda.

- 1. Quibus modis violetur Ecclesia?
 - 2. Quid fit pollutio Ecclesie?
 - 3. Quæ loca facta sint capacia pollutionis?
 - 4. Quibus actionibus polluitur Ecclesia?
 - 5. Qui sint effectus huius pollutionis?
 - 6. Quibus remediis pollutio Ecclesie tollatur?
- Quò ad Primum: Pluribus modis Ecclesia potest violari, sed potissimum tribus, Profanatione, Execratione, & Pollutione. Profanatio est duplex, una à jure prohibita, altera permixta. Prohibita Ecclesie profanatio est, quæ fit per quamcumque actionem loco Sacro injuriosam, & ipsius Dei, qui in eo loco, tamquam in propria domo, dicitur habitare, offensivam. Hujusmodi sunt furta cum fractura murorum, vel januarum, & incendia; contra quorum auctores lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata. cap. Tua nos, ubi Glossa. Verb. Publica. De Sentent. excommunic. nec non actus irreverentiales, quales sunt indecentes, vel mundanæ confabulationes, negotiationes, actus forenses, & consimiles; qui omnes prohibiti sunt fieri in Ecclesia. cap. 1. & cap. Cum Ecclesia. De Immunitate Eccl. Sperellus Decif. LI. per totam. Adeo ut sententia Judicis laici prolata in Ecclesia sit ipso Jure nulla. cap. Deert. §. fin. de Immunit. Eccl. Quòd si esset criminalis, & in causa sanguinis, Judex incurreret in excommunicationem. d. cap. Cum Ecclesia, cod. tit. Barbosa de Jure Eccl. Univers. lib. 2. cap. 3. num. 10. ubi advertit, quòd è contra actus voluntariæ jurisdictionis; & alii, qui sunt de re spiritali, vel Ecclesiastica, possunt haberi in Ecclesia, ut disputationes Theologicæ, & Litterariæ, Doctoratus, & similes. Sylvest. Verb. Immunitas. n. 3. At qui concernunt res profanas, vel laicales, non sunt liciti, quales sunt consilia, seu capitula confratrum, vel artificum laicorum, qui in Ecclesia se congregant, pro electione officialium, aut computis faciendis. Abb. in d. cap. Cum Ecclesia nu. 10. Sperell. d. Decif. LI. n. 20. & 21. Quòd malè servatur hic Patavii, præcipue in Ecclesia S. Rochi, ad quam tamquam vicinam plateis solent se reducere confratriæ artificum pro terminatione suorum negotiorum, non sine gravi irreverentia loci sacri, ob strepitus, & contentiones, quas inter se habent, contra textum in cap. Decet. De Immunit. Eccl. in 6. ubi Glossa notat, actus prædictos in Ecclesia habentes mortaliter peccare; quòd eò magis procedit, attenda Bulla S. Pii Quinti incipien. Cum primùm, &c. Calendis Aprilis 1566. circa reverentiam Ecclesiis præstandam, cujus tenorem excipit Barbosa d. lib. 2. cap. 3. nu. 36. Idcirco etiam ludii theatrales, monstra larvarum, ludicræ festivitates, chori secularium, musicæ can-

tionem profanæ, & saltationes omnino vitæ cententur in locis sacris, cap. Cantantes, 92. dist. cap. Cum decorum. De Vit. & honest. Cleric. S. Thomas 2. 2. qu. 91. art. 2. Barbosa d. cap. 3. num. 16. referens ex approbatis auctoribus, quòd olim accidit in Saxonia nonnullis saltatoribus in Ecclesia S. Magni; qui in pænam suæ irreverentiæ non poterunt abstinere in Saltatione per integrum annum, & coacti fuerunt absque cibo, & somno jugiter per annum saltare. His igitur actibus in Ecclesia commissis, ipsa dicitur profanari, & violari; non ita tamen, ut iis remotis, & ablegatis, non liceat, celebrare Missam, vel officia Divina; ut bene notat Passerinus de Pollutione Ecclesie disp. 1. cap. 3.

Profanatio Ecclesiarum permixta est, quando diruta sunt; & ob nimiam egestatem nullus est, qui velit, aut possit, illas restaurare; in hoc enim casu concessum est Episcopis à Concilio Tridentino sess. 21. de ref. cap. 7. eas destruire, locum sacrum profanare, & ad usus profanos, non sordidos, erigenda tamen ibi Cruce, convertere. Et quòd statum est ob egestatem, locum habet ob aliam publicam causam; qualis fuit anno 1509. in quo obidente Maximiliano Primo Imperatore hanc Patavinam urbem odoginta millibus militum, Venetus Senatus pro tantæ Urbis defensione iussit omnia ædificia extra mœnia demoliri ad unius milliarii latitudinem, cumque extra portam Caudæ longè esset Ecclesia Parochialis nec Præposituræ, tituli Sanctissimæ Trinitatis, diruta remansit, & fundus ejus nunc aratorius est penes columnam cum Cruce ibi erigendam; titulusque, & jura ejusdem Præposituræ translatus fuit in Ecclesiam S. Jacobi; assignata per Summum Pontificem perpetua annua Pensione Ducatorum Venetorum vigintiquatuor ex redditibus Præposituræ tum Archipresbytero Villæ Turris, tum Parocho Alticherii, pro regimine animarum degentium extra quatuor Civitatis, & eorum Ecclesiis Parochialibus respectivè suppositarum, & annexarum; ut constat ex historia Portenarii De felicitate Padue lib. 3. cap. 4. & lib. 9. cap. 22. pag. 438. & aliis publicis scripturis. Porro etiam publica causa cessante, & extra causam vetustatis permixtum est Episcopis ob aliquod justum motivum locum Sacrum profanare, & Ecclesiam demoliri, ut differit Emin. Card. de Luca in Annot. ad Conc. Trid. discurs. 17. num. 3. quòd prædictum fuit hic Patavii paucis ab hinc annis in translatione Monasterium Eremitarum ad novum Monasterium in Vantio de angusta, & infelici domo, quam habitabant in contracta Pontis Curvi; ubi Ecclesia, quam officiant, diruta, & destructa fuit, ipsaque domus cum loco, ubi erat Ecclesia, secularibus personis vendita. Sed utrum in casu demolitionis Ecclesie, cæmenta, & lapides ejus adhereri possint pro profanis ædificiis? De Jure est negativè respondendum per text. in cap. Ligna. De Consecr. dist. 1. & cap. Ad hæc. De Religios. domib. Navarrus. De Spoliis Cleric. §. 18. in fin. quamvis & hoc malè in praxi servari affirmet. Facta autem hac profanatione Ecclesie per ejus destructionem, extra dubium remanet, quòd in eodem loco Missæ Sacrificium celebrari non possit; neque locus ille gaudet immunitate. Barbosa d. lib. 2. cap. 3. n. 62. Diana Coordinatus tom. 9. tract. 1. resol. 6. num. 8. quæ in veteri est part. 6. tract. 1. resol. 1.

Execratione profanatur Ecclesia, quando ipsa prius fuerat consecrata, deinde ejus muri vel casu, vel violentia hominum destruantur, aut vetustate decruantur; cum enim consecratio Ecclesie inhæret parietum crustæ interiori, in qua sunt uniones, & Cruces, ut docuimus supra Decif. XLI. num. 26. si hæc crusta parietalis pereat, dicitur consecratio tollitur, & Ecclesia ipsa execrata dicitur, & profanata. Azor. tom. 2. lib. 9. cap. 7. quæst. 3. Passerinus de Pollut.

Pollut. Eccl. d. disp. 1. cap. 4. ubi num. 4. bene advertit, quòd licet execratio hujusmodi auferat consecrationem Ecclesie, ita ut opus sit, iterum illam consecrare; nihilominus non est prohibitum in execrata Ecclesia celebrare, si Altaria intacta, & firma consistant; siquidem Ecclesie profanatione non profanantur Altaria, ut etiam docuit Abbas in cap. Proposui num. ult. De Consecrat. Eccl. vel Altaris. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 5. nu. 17. & Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 12. n. 1. & 2. Quòd si Ecclesia à principio consecrata non fuerit, sed solummodò benedicta, per dejectionem parietum, aut eorum decrustationem, non tollitur benedictio; & ratio est, quia benedictio inhæret solo. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. casu 6. Passerinus alios allegans d. disp. 1. cap. 4. num. 2. & idè benedictio semper durat; & quamvis Ecclesia per violentiam, aut injuriam hominum circa parietes, solumvè profanetur, aut deturpetur; (ut factum fuit à Maxentio Imperatore, qui in Ecclesiam, quam S. Marcellus in beatæ Lucine ædibus dedicaverat, catabuli bestias transferri iussit, & ibi ab eodem S. Marcello custoditi, ut in Brev. Rom. die 16. Januarii) litare tamen, & Divina perolvere non est prohibitum.

Pollutione autem profanatur Ecclesia, quando in ea injuriosè effunditur aut sanguis, aut semen humanum; vel inferuntur cadavera infidelium, ut infra explicabimus; quia cum hæc actiones materialiter sumptæ deturpent, & maculent locum, super quo cadunt; ita moraliter considerata dicuntur habere vim polluentem, maculandi, & deturpandi sanctitatem loci sacri; quamvis enim Ecclesia, quæ benedicta, & sanctificata est, coinquinari verè, & propriè non possit. cap. fin. 1. §. qu. ult. cap. Quòd quidam 1. qu. 1. & cap. Vestra. De Cohabit. Cleric. & mul. nihilominus per quamdam metaphoram dicitur pollui, coinquinari, & deturpari; propter abominationem, ac horrorem resultantem ex illa turpi, & injuriosa actione, commissa in loco Sacro; quæ causat terrorem in humanis mentibus, ut differit Glossa in c. Unico verb. Pollut. De Consecr. Eccl. vel Altar. in 6. Barbosa de Episc. allegat. 28. num. 20. & Passerinus d. disp. 1. c. 7. per totum.

Quò ad Secundum: Pollutio Ecclesie est Macula moralis, quæ locus Sacre ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico jure peculiariter vitæ, ita quòdammodo afficitur, ut ibidem jure ipso Divinorum celebratio, & fidelium sepultura, ante reconciliationem, interdican- tur; nulla tamen eodem jure lata pæna in transgressores. Petr. Franc. Passerinus de Pollut. Eccl. disp. 1. c. 2. n. 4. Singula definitiois verba sunt breviter explicanda. Dicitur Macula tamquam genus; nam macule appellatio comprehenditur omnis deturpatione, & coinquatio, potissimum quæ fit in anima per peccatum, quòd ab effectu Macule à Theologis nuncupatur. Beccanus de Peccatis qu. 1. cap. 7. num. 1. nam peccatum maculam facit in anima, deturpando sanctitatem, quæ consistit in iustitia, & sanctitate. Verùm quia Ecclesie sanctitas, & pulchritudo intrinseca, & essentialis non est, sed macula, à qua inquinatur physicè, & realiter; idè additur in definitione vel Moralit, ad denotandum, quòd per pollutionem maculatur, & coinquatur Ecclesia, & locus Sacre moraliter tantum, vel per relationem ad maculam, & coinquationem, quam contrahit ille, qui actionibus peccaminosis, & turpibus polluit Ecclesiam, vel per opinionem hominum, quibus videtur, maculam ejusdem peccatoris infixam remanere in loco Sacro; vel melius, quia deturpatur pulchritudo loci Sacri posita in summo respectu, & reverentia ad exercitium Sacramentorum, Sacrificii, & divinarum laudum, quòd habetur in ipso; unde factum est, quòd sicut macula peccati dicitur tolli ab anima per aquam vel balneum, ita dicitur tolli ab anima per aquam vel balneum, vel lacrymarum in penitentia, juxta illud:

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Psalm. 50. 9. ita macula pollutionis Ecclesie auferatur per ablationem cum aqua benedicta, ut infra demonstrabimus. Dicitur in definitione, Quæ locus Sacre, ut sciamus, Oratoria privata, existentia in domibus laicorum, vel ædificata in viis publicis non esse pollutionis capacia, quia loca sacra non sunt. Gaventus in Manual. Verb. Ecclesie reconciliatio, num. 16. Passerinus disp. 2. cap. 5. num. 3. 4. & 5. qui loquitur etiam de Oratorii privati, in quibus ex Indulto Apostolico Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebratur; ait enim, quia ipsa Oratoria ab Episcopo visitantur, sed non benedicuntur, idè cessante benedictione non censentur loca Sacra; & non sunt capacia pollutionis. Porro huic doctrinæ ego non acquiesco; licet enim ab Episcopis talia Oratoria non benedicantur; sunt tamen benedicenda, ut notavimus supra Decif. XLII. nu. 82. ex Casafoldo lib. 2. sect. 13. cap. 6. num. 4. & esto quòd dicta benedictio deficiat, sufficit, immò prævalet, Divini oblatio Sacrificii, quæ sanctificat locum ipsum; saltem donec, & ulquequò ibi servetur Altare, & duret Privilegium Pontificum in eo celebrandi Missam; quare mihi videtur magnum esse absurdum asserere, quòd si quis paulò post auditam Missam in eodem loco se carnaliter polluat; vel alium injuriosè percutiat, & humanum Sanguinem effundat, non committat Sacrilegium; & licet sit statim ibidem Hostiam litare, & Sacrificium offerre absque loci reconciliatione; nulla enim differentia est quò ad horrorem in mentibus hominum, & quò ad irreverentiam loci ad Divina peragenda destinati, inter hunc locum, quem Oratorium privatum appellamus, & Ecclesiam publicam; & idè quòtiscumque publicæ actio immunda, in quo ex Apostolico Privilegio celebratur Missa, censet, opus esse reconciliatio in Oratorio privato, in quo ex Apostolico Privilegio ob rationis paritatem; ubi enim est eadem ratio, ibi debet esse eadem Juri dispositio. l. Illud. ff. Ad leg. Aquil. cap. 1. ubi Glossa in Verb. Italia. de Temp. porib. Ordin. in 6. Sicut enim genus continet omnem speciem, ita generalis ratio continet omnem casum. Cravet. cons. 183. n. 3. Et ubicumque ratio habet locum, debet habere locum Lex. Thomastus regul. 299. Siquidem lex non extenditur, sed comprehenditur ex illis, ubi est eadem ratio. l. Illud. C. de Sacrosanct. Eccl. Gratian. discept. for. cap. 818. n. 66.

Sequitur in definitione ex publicis actionibus, &c. 10 quia ut locus Sacre polluitur dicitur, oportet publicum esse injuriam ei factam per effusionem sanguinis, vel feminis humani; aut illationem cadaveris infidelium; si enim sit occulta, non censetur pollutus. DD. quos cumulat, & sequitur Passerinus de Pollut. Eccl. disp. 4. cap. 1. ubi notat, sex potissimum modis aliquid publicum dici, ac denominari. Primò à causa efficiente, eò quòd aliquid à persona publica factum sit; & hoc modo Instrumentum dicitur publicum, quando factum est à Notario, qui est persona publica. l. Comparationes, & ibi Gloss. 3. C. de Fide Instrum. cap. Scripta. cod. tit. Secundò à causa finali, & tales sunt leges, quæ publicæ appellantur, tamquam ad bonum publicum directæ. l. 1. ff. de Judic. public. l. 2. ff. Ne quid in loco publ. Tertio ab administratione rerum spectantium ad Principem; unde earum ministri dicuntur agere publica ratiocinia, l. Officiales. C. de Episc. & Cleric. Quarto à locis publicis, qualia sunt viæ, plateæ, & forum. l. 1. ff. de Loc. & itin. publ. Quintò ab usu omnibus communi, ut in piscinis, ripis fluminum, piscinationibus. l. Inter publica. ff. de verb. signific. Et Sextò à notitia alicujus rei, diffusa ad multitudinem hominum; quæ propterea publica appellatur; & fit tripliciter, vel per Notorietatem Juris, aut facti; vel per manifestationem transcendentem de una persona in aliam; vel per delationem famæ, seu à fama; adeo

ad eum illud dicatur esse publicum, quod vel est Notorium, vel Manifestum, vel Famofum. Glossa in cap. Manifesta 2. cap. 1. Abbas in cap. Vestra num. 11. & cap. Tua num. 2. De Cohabit. Cleric. & Mulier. & Passerius. d. disp. 4. cap. 1. num. 3. Materiam Notorii est satis difficilis, & involuta, quia ut ait Glossa in cap. Manifesta 2. quest. 1. quotidie de Notorio loquimur, & quid sit notorium ignoramus. Et in rei veritate legantur Fagnanus ubi infra; nec non Pignatellus tom. 10. consuli. 115. conantes explicare materiam Notorii, qui post impletas multas paginas, confundunt, & non instrunt Lectorem. Notorium est ius vel factum transiens in notitiam omnium, vel majoris partis eorum. Ita Fagnanus in c. Vestra n. 68. de Cohabit. Cleric. & Mul. qui n. 69. subdit triplex esse Notorium, nempe Juris, Facti, & Præsumptionis. Notorium Juris est evidenter proveniens vel ex iudiciali confessione, vel legali probatione, aut ex legitima sententia. Notorium facti est publica vox proveniens ex evidenter vel, que nulla tergiversatione potest celari. Triplex est autem Factum, nempe permanens, deficiens, & rediens. Notorium ex facto permanente, ut in concubina cum filii publicè domi retenta. Ex facto deficiente, ut in homicidio, blasphemia, furto. Ex facto redente, ut in Usurario, qui hodie, deinde cras, & successivè mutat pecuniam. Ita Fagnanus citatis DD. antiquis à num. 79. usque ad num. 83. Notorium Præsumptionis est veritate acceptum. Ut quod filius natus, & educatus in domo aliojus fit verus filius ejus. Vel tenentem mensam apertam cum pecunia ad mutuandum esse usurarium. Fagnanus ibid. num. 84. & segg. subdens post num. 78. discordes esse Doctores circa numerum personarum, quæ notitiam rei habeant, ut sit notorium; alii enim requirunt majorem partem viciniæ, alii quod saltem sint decem personæ, quæ factum viderint; alii etiam tres, vel quatuor tantum; sed verior opinio est, remitti ad arbitrium Judicis ipsam numerum personarum, majorem, vel minorem juxta circumstantias facti, loci, aut temporis. Manifestum dicitur, quod notum est minori parti viciniæ, dummodo hæc minor pars constet saltem ex decem personis. Butrius in d. cap. Vestra num. 33. & Fagnanus num. 62. ubi quod talis numerus relinquatur arbitrio Judicis. Famofum est, quod proclamatur à multitudine populi, & habetur pro veritate ob solam suspensionem. cap. Sicut nonnulli. 46. disp. cap. Sanctum in fine. de Consecr. disp. 4. cap. Cum insinuante. De Purgat. Canon. DD. quos cumulat Fagnanus in d. cap. Vestra n. 38. De Cohabit. Cleric. & Mulier. Ex quibus omnibus colligere licet, pollutam censeri Ecclesiam, quando effusio sanguinis, vel seminis humani in ea vel est notoria, vel manifesta, vel famosa, cum supranotatis circumstantiis; secus si sit occulta; tunc autem occulta reputanda est, quando probari non possit; ut, (dimissis tot, & tantis subdivisionibus) concludit Fagnanus in cap. Dilectum n. 38. de Temporib. Ordinat. & Rota coram Ludovico decis. 395. num. 3.

Alia definitionis verba sequentia hæc sunt: Ecclesiæ iure peculiariter vetitis: ex quibus deprehendimus, pollutionem loci Sacri, & ejus reconciliationem inditam esse à jure Canonico; licet enim velit Passerius eam incepisse in lege naturæ à Caino, qui pollutit terram, & forsitan Altare, per effusionem Sanguinis fratris sui Abelis; & in Lege Moisaica, quando in Levitic. cap. 15. moniti sunt Hebrei, ut caverent ab immunditiis Legalibus, ne cum ipsis intrantes Tabernaculum illud polluerent, nihilominus gratis id asserit; nam Sacri Canones decreverunt, servandum esse pollutionem, & tollendam reconciliationem, ut habetur in cap. Si motum, & in cap. Ecclesiis De Consecr. disp. 1. in cap. Proposui. cap. Consultuisti. cap. Aqua. cap. Si Ecclesia. De Consecr. Eccl. vel Alt. & in cap. Unico eod. tit. 29 in 6. Unde fit, quod licet Joab occisus fuerit apud

Altare Tabernaculi, ad quod recurreret. 3. Reg. 2. 29. nulla mentio fit in Sacro textu de Tabernaculi reconciliatione; & eò minus quando in Templo Salomonis occisus fuit Zacharias Summus Sacerdos, de quo 2. Paralip. 24. 22. neque post commissum fratricidium à Joanne, affecante Pontificiam dignitatem, effundendo Sanguinem fratris sui in eodem Templo, ut scribit Joseph Judaicar. Antiq. lib. 11. cap. 7. & Tornilius ad Annum Mundi 3690. num. 3. quamvis Machabæi ob inimicam profanationem Templi per indignas actiones in eo commissas à ministris Regis Antiochi, (de quibus in lib. 2. Machab. cap. 6. num. 4. & apud eundem Tornilium Anno 3887. num. 5. & Anno 1890. num. 2.) voluerint prius illud purificare, & reconciliare; & de hujusmodi purificatione futuris temporibus memoriam animum recollere, ut scripsimus supra Decis. XXVII. num. 46. & num. 63.

Additum est in definitione: Ut ibidem jure ipso Divinorum celebratio, & fidelium sepultura ante reconciliationem interdiciantur. Hi enim sunt effectus pollutionis loci Sacri, de quibus infra in cap. 5. quod scilicet statim ejus pollutione sequuta per unam ex actionibus injuriolis pariter cap. 4. infra explicandis, statim vetitum sit Sacerdotibus Divina officia celebrare, Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre; & alia Sacramenta distribuere, ut infra latius demonstrabitur.

Tandem dicitur, Nulla tamen eodem jure lata pena in transgressores; ad differentiam Ecclesiasticæ censure, per quam Ecclesia, aut locus Sacri Interdicto supponitur; tunc enim qui transgreditur Interdictum, ultra peccatum incurrit Irregularitatem. cap. 15. qui de Sent. Excom. in 6. at qui non observat pollutionem, & in Ecclesia polluta celebrat ante reconciliationem; peccat quidem mortaliter, (nisi legitima excusatio eum tueatur, ut mox dicam) sed nullam incurrit censuram, aut irregularitatem. Passerius d. trad. disp. 9. c. 3. n. 3. & 4.

Quò ad Tertium, in quo quaeritur, Quæ loca Sacra sint capacia pollutionis? Respondetur, loca Sacra, quæ sunt capacia pollutionis, siquæ pollutuntur, egent reconciliatione, duo esse, Ecclesiam consecratam, saltemvè benedictam de mandato Episcopii; & Cœmeteria, pariter benedicta, & ad corpora fidelium sepelienda destinata. cap. Unico de Consecr. Eccl. in 6. Pax Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 11. & Passerius de Pollut. Eccles. disp. 2. cap. 2. num. 4. nec non cap. 46. num. 5. ubi bene advertit, quod si Cœmeterium sit immediatè contiguum Ecclesiæ, si Ecclesia polluat, remanet pollutum etiam Cœmeterium, secus è contra; quia si pollutio accidat in Cœmeterio unito Ecclesiæ, nequaquam Ecclesia censetur polluta; & multò minus si cœmeterium sit ab ipsa Ecclesia disjunctum, & separatum. Nicolius Lucubration. Canoniar. lib. 5. tit. 39. num. 255. ea ratione, quia magis dignum trahit ad se minus dignum, sed non vice versa majus dignum trahi potest à minus digniore. cap. Quod in dubiis. De Consecr. Eccl. cap. 1. eod. tit. in 6. Quòd si duo cœmeteria essent ad invicem conjuncta; sed realiter muro, aut sepe separata, pollutio uno, non pollutur alii, licet per unum ingressus pateat in alterum; quia unus ab altero non trahitur, neque dependet. Nicolius d. num. 255. Vers. Item si sunt duo.

Ecclesiæ autem appellatione venit etiam Oratorium publicum, de licentia Ordinarii benedictum, & approbatum pro Missæ celebratione. Oratoria verò privata non comprehenduntur sub nomine Ecclesiæ, illa scilicet privata, quæ deputata sunt tantummodò ad orationes privatiorum; secus autem de illis Oratoriis privatis, in quibus ex Apostolico Indulto Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragitur; hæc enim capacia sunt pollutionem, ut dictum est supra num. 19. & multò magis Oratoria illa, in quibus ex

consuetudine immemorabili litatur, posita in Palatiis Principum, & Proconulium, seu Rectorum Civitatum, & Arcium; prout in hoc Dominio Veneto Serenissimo; nec non in aliis Oratoriis concessis, ut carcerati, & præsentati in fortis iustitiæ Missam audiant, prout hic Patavii in utroque Foro, Prætorio, & Præfectorio, in iis enim omnibus casibus, si pollutio contingat per injuriosam humani sanguinis, vel seminis effusionem, opus esse reconciliationem, tamquam statuta, & à Sacris Canonibus requisita ob reverentiam Sacrificii, & ad favorem loci Sacri, tamquam in satisfactionem injuriæ ipsi illatæ; unde descendendum esse omninò dico à doctrina Passerini, asserentis in prædictis omnibus Oratoriis non dari pollutionem, nec requiri reconciliationem, ut ipse scribit d. trad. de Pollut. Eccl. disp. 2. a cap. 5. usque ad cap. 12. non obstante Doctorum multitudine per eum allegatorum, qui videntur loqui de Oratoriis privatis, in quibus Missa non celebratur.

Porro nomine Ecclesiæ, ubi agitur de pollutione, venit etiam capellæ, quæ sunt Ecclesiæ unitæ, in quas per Ecclesiam ingreditur, Baptisterium, Solarium superius ejusdem Ecclesiæ, in quo sunt Altaria, & ubi solitum est, Missam celebrari, ut in Ecclesia S. Joseph, S. Rochi, & aliarum hic Patavii; Confectiones, seu Sacella subter Chorum; ut in hac Ecclesia Cathedrali Patavina, Campanilla habentia situm intra Ecclesiam; fenestras Ecclesiæ, & scalæ interiores; Mesaule, Andronefve, scilicet remotæ viæ, per quas de Sacrificia fit transitus ad Capellas, & Altaria, ut in pluribus Regularium Ecclesiis conspicimus; Confessionaria existantia in Ecclesiis, etsi muro insita; Podiola ad ornamentum Ecclesiæ à parte inferiori posita, ut in Ecclesia S. Thomæ Martyris hujus Civitatis; Cellulæ ad audiendam Missam, si intra muros principales Ecclesiæ existant; Chorus, Organorum locus, Palpita, seu Suggesta stabilia ad prædicandum in Ecclesiis posita, Rotæ in Ecclesiis Monialium; per quas dant, & recipiunt calices, & paramenta; Armaria ad hæc condenda, sive mobilia, sive in parietis concaevitate constructa, aperibilia in interiori Ecclesiæ ambitu; ac tandem foveæ sepulchrales in ipsa Ecclesia; siquidem si contingat effusio injuriosa humani seminis, vel sanguinis in aliquo ex prædictis locis, semper intelligitur Ecclesia polluta, & opus est reconciliationem, ut docent Jordanus d. tom. 1. lib. 5. tit. 11. Nicolius d. tom. 2. lib. 5. tit. 39. a n. 249. & segg. & Passerius d. disp. 2. a cap. 24. usque ad cap. 45. à quo excipitur Sacrificia, si in ea non sint sepultura; asserendo, quod si in ipsa committatur delictum pollutivum, Ecclesia non dicatur polluta ex auctoritate Doctorum, quos allegat d. disp. 2. a cap. 28. num. 4. quamvis asserat num. 3. antecedenti, non deesse Doctores docentes, delictum in Sacrificia commisso, pollutum totam Ecclesiam.

Et equidem his in sensu veritatis cogor adhærere, atque ejusdem Passerini, & aliorum contrariam opinionem impugnare; cum ipsi innituntur falso fundamento, nempe legem pollutionis, & reconciliationis Ecclesiæ pollutæ esse legem penalem, odiosam, & onerosam, utpote prohibivam Divinorum officiorum; derogativam libertatis Sacerdotum in ea celebrandi Missam, & quæ privat Christi fideles multis Spiritualibus commodis, ac etiam usu Ecclesiæ sepultura; ut differri idem Passerius disp. 1. cap. 19. deducens ex hoc principio, supradictam legem non esse extendendam, sed strictè interpretandam juxta regulam juris in cap. Otia. De Regul. Jur. in 6. dicentem, Otia esse restringenda, favores ampliandos, quod prosequitur Suarez de Legibus lib. 5. cap. secundo.

Ceterum à veritate multùm aberrant, qui sic ratiocinantur; saltem est enim, quòd sit lex odiosa illa, quæ promulgata est in obsequium, & reveren-

tiam Divinorum Mysteriorum, qualis est ista circa pollutionem, & reconciliationem Ecclesiæ. Hæc si odiosa dicenda esset, tamquam restrictiva libertatis Mystrarum, vel spiritualium consolationum Christianorum; eò magis odiosa appellanda forent leges de jejunio naturali servando à celebratis, & communicatis, de vestibus Sacris induendis, de lumine adhibendo, de non celebrando, seu communicando feria sexta in Parasceve, & his similes; quæ tamen nullus fidelium nuncupabit odiosas, sed favorabiles; tamquam directas ad reverentiam, pietatem, religionem, & Divinum cultum in rebus Sacris. Erine odiosum, onerosum, & penale præceptum Maternum, quòd jubet filio abstinere per aliquot dies ab usu pallii, seu vestimenti oleo, luto, aliavè spurcitia ab insipientie, vel temerario sermo maculati, ut interim lavari, expurgari, & à sorde mundari possit; Nonnè Mater ita præcipiens filio, facit e præceptum favorabile, tendens in ejus decus, & honorem, si enim sordidam vestem indueret, irrideret ab amicis? Ita quidem, & idem affirmandum est de præcepto Ecclesiastico non celebrandi in loco Sacro polluto, & non sepeliendi fideles in eo, donec à sorde sanguinis, vel seminis humani, indecenter in eo effusio, laveretur, & per reconciliationem munderetur; tamquam emanato ad ejus cultum, & reverentiam, custodiam, & ignominiosam injuriam reparandam, ne veridicetur ipsa Ecclesia Catholica; videntur eam hostes (infideles scilicet, & hæretici) & derisurum Sabota eius. Thren. 1. 7. Est igitur lex hæc favorabilis, & non odiosa; utilis, necessaria, & expediens pro Divinorum Mysteriorum cultu recto, fatuoque servando; & per consequens amplianda, & extendenda etiam ad Sacrificia; prout illam jus ipsum ampliat, & extendit ad cœmeterium contiguum Ecclesiæ, ut legitur in d. cap. Unico. De Consecr. Eccl. vel Alt. in 6.

Sed esto, quòd sit lex penalis tamquam restrictiva libertatis Sacerdotum circa celebrationem, & Laicorum circa participationem rerum spiritualium; nonnè est regula certa, & principium Legale apud Canonistas, & Juristas; quòd lex penalis est extendenda, & largo modo interpretanda, quando emanavit in honorem Dei; ad impedienda peccata, & animarum pericula avertenda? Ita in puncto docent Joannes Andreas in cap. Ex tenore, n. 6. Quis filius legitimus; Abbas Panormitanus ibid. num. 5. dicens, hæc Jo. Andree doctrinam esse singularem, & nunquam tradendam oblivioni. Comitulos, utroque commendans, in Respons. Moralib. lib. 6. q. 11. num. 7. ubi alios concordantes adducit; quibus ego addo Fagnanum in cap. Ne innitatis. num. 223. De Constit. ubi tenet, quòd lex quamvis penalis dicitur favorabilis, & extendenda, ubi agitur de securitate animæ. Et in cap. Statutum. num. 51. de Regularib. scribitur, quòd lex etiam exorbitans, & penalis extenditur ad casum similem, ad quem si non extenderetur, esset frustratoria. Et in cap. Quanto, nu. 24. de Privilegiis demonstrat, quòd lex penalis est late interpretanda, quatenus patitur verborum proprietates.

Modò Antiqui Canones per verbum Ecclesiæ intelligunt locum Sacrum, & dicuntur Deo, ubi loquuntur de reconciliatione faciendi ex causa pollutionis. cap. Ecclesiis. 20. de Consecr. disp. 1. ibi ita nec locus Deo dicatur. Hinc Sacrificia esse locum Sacrum a severat Decianus tom. 2. trad. criminal. lib. 6. cap. 24. nu. 33. nec abique fundamentali ratione, nam antiquitas in Sacrificia conservabat Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut legitur in Apostolicis Constitutionibus S. Clementis, in quibus lib. 8. cap. 21. hæc sunt verba: Postquam omnes susceperunt, accipiant Diaconi reliquias, & portent in Pastophoria. Erant autem Pastophoria Sacrificia; & Pastophorium est verbum græcum & scopæ, quod interpretatur à S. Hieronymo in Ezechiel. cap. 42. thalamus, & interior cubiculum, ut advertit Sarnellius in Basilico graph. c. 41.

c. 47. n. 2. & 3. subdens, vocari etiam Secretarium, Cinctia, Vestiarium, Penus veneranda, Scrotophilarium; & de eodem verbo Passophoria ita legitur in iisdem Constitutionibus Apostolicis, cap. 57. lib. 2. Sit aules oblonga (id est Ecclesia) ad Orientem versa, navi similis. Utrique Passophoria in Orientem; quorum unum continebat Sacros libros, aliud Suppellectilia Sacra; ideoque dictum Secretarium cap. Non liceat, il 2. ubi Glossa in Verb. Secretario dist. 24. & hoc erat Sacrificia, quæ semper tanquam pars necessaria, & integralis Ecclesiæ reputata fuit locus Sacer, & comprehensa sub nomine Ecclesiæ ad instar capellarii, & aliorum locorum, unum corpus constituentium cum ipsa Ecclesia, tum materialiter ob intimam adhesionem, & ingressum per Ecclesiam; tum ministerialiter, ob conservationem Sacramum Suppellectilium, & Vasorum; sine quibus sacrificare non licet; unde S. Paulinus in ostio Sacrificiæ hæc carmina apposuit.

Hic locus est veneranda Penus, qua conditur, & qua Promitur Alma Sacri Pompa Ministerii.

Igitur cum sit manifestum, Sacrificiam esse locum sacrum, & Deo dicatum; ipsamque, cum sit contigua Ecclesiæ, facere partem integram ejus, sicut brachium cum corpore humano, & proram, seu puppem cum Navi, concludendum venit, esse capacem pollutionis Ecclesiasticæ; itaut si in ea fiat injuriosa, & publica effusio sanguinis, vel feminis humani, de qua infra, totam Ecclesiam censeri pollutam, & opus esse reconciliatione; prout tenent, & docent Zetola in Praxi Pœnitent. cap. 12. qu. 27. & Selva apud Dianam, quos nominat idem Passerinus dista disp. 2. cap. 28. num. 3. Et hæc pro intelligentia locorum, in quibus cadere potest pollutio.

42. Quod ad Quartum? Si querimus, quibus actionibus polluat Ecclesia? Respondendum est, verè, & propriè esse quatuor actiones illas, quibus polluitur Ecclesia, videlicet: I. Homicidium cap. Proposuit, de Consecratione Eccl. cap. Si motum, de Consecrat. dist. 1. II. Vultus, cum humani sanguinis effusione d. cap. Proposuit, cap. Si Ecclesia. De Consecrat. Eccl. cap. Ecclesiæ, de Consecrat. dist. 1. & cap. Unico, de Consecrat. Eccl. in 6. III. Seminis pariter humani effusio, eod. cap. Unico, cap. Ecclesiæ, de Consecrat. dist. 2. d. c. Si Ecclesia, cap. Significasti, de Adult. & d. cap. Simotum. Et IV. Sepultura excommunicati, vel non baptizati, cap. Confulisti, de Consecrat. Eccl. & cap. Ecclesiam, 1. & 2. de Consecrat. dist. 1. Non desunt tamen Auctores, qui prædictas quatuor actiones restringunt ad tria capita, ut facit Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 4. & alii, qui illas extendunt ad majorem numerum, ut Lezana in Summa tom. 3. verb. Ecclesia, n. 12. Sed verè, & propriè sunt prædictæ quatuor, ut bene notat Passerinus d. traç. de Pollut. Eccl. disp. 3. cap. 2. num. 4. Verùm, quia valde conferunt circumstantiæ prædictarum actionum ad inducendam, vel excludendam pollutionem; quæ potiora, & magis scitu necessaria sunt, breviter hic adnotabimus, per sequentes conclusiones.

Conclusio prima. Prædictæ actiones, ut Ecclesiam pollutam reddant, debent esse publicæ; si enim secrete, & occulte sint, non causant pollutionem, ut dictum est supra num. 24. & seqq. & diffusè tractat Passerinus tota disp. 4. per capita sexdecim, in quibus firmat, publicitatem prædictam sufficere ad pollutionem inducendam, sive sit famosa, sive manifesta, sive notoria de Jure, aut de facto, dummodo sit cum animadvertentia populi, & cognitione eorumdem actionum; numerus autem populi, & personarum pendet ab arbitrio Judicis, ut concludit idem Passerinus d. disp. 4. cap. 5. num. 8. & DD. ibi allegati; prosequendo plura alia quæ sita circa publicitatem, ibi curiosius Lectores videnda; sunt enim vel obsoleta, vel ferè inutilia; uno excepto, de quo

in d. disp. 4. cap. 16. scilicet, si Superior Ecclesiasticus parvipendat pollutionem verè publicam; nihilominus Ecclesiam remanere pollutam, & opus esse reconciliatione; super cujus reconciliationis omissione nullus dispensare potest, nisi Papa.

Conclusio secunda. Homicidium pollutivum Ecclesiæ debet esse proprium, & corporale, commissum in Ecclesia, quamvis non intervenerit effusio Sanguinis; ut si homo fuerit suffocatus, aut baculo, vel lapide in pectore percussus, vel simili violentia è vivis sublatus. Passerinus disp. 5. cap. 1. & cap. 7. num. 4. Quod si mors non sequatur in Ecclesia, licet percussio facta sit in ea, non videtur polluta, deficiente effusione sanguinis, ut pluribus DD. citatis docet Passerinus ibid. cap. 2. num. 4. & Diana Coordinatus tom. 9. traç. 1. resol. 126. quæ in veteri est part. 6. traç. 6. resol. 26. ubi scribit, quòd cum olim quidam ita acriter contusus fuisset in Ecclesia faculis arena, ut post tres dies extra Ecclesiam mortuus sit; & alius sumpto vino in Ecclesia mixto veneno, rediens domum expiravit, Ecclesiam non fuisse pollutam ex doctrina Abb. in d. cap. Proposuit, n. 14. de Consecrat. Eccl. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. cap. 1. & aliorum; quia necesse est, inquit, ut mors sequatur in Ecclesia, et contrarium teneant Marchinus de Ord. traç. 3. cap. 10. num. 7. & Layman. lib. 5. traç. 5. cap. 5. n. 8. Jordanus tom. 2. lib. 11. tit. 3. n. 330. Antonellus de Regimine Eccl. lib. 1. cap. 16. n. 6. cum quatuordecim aliis, quos enumerat, & sequitur ipse Passerinus d. disp. 5. cap. 4. num. 3. & 4. novissimè Pericus de officio sacerdot. lib. 1. cap. 6. dub. 1. ubi loquitur de veneno; & Emanuel Gonzalez in Comment. cap. 7. de Consecrat. Eccl. quibus cogor adherere ob auctoritatem Glossæ tenentis in his casibus, licet mors sequatur extra Ecclesiam, eam remanere pollutam, ut legitur in cap. Unico, Verb. Sanguinis, de Consecrat. Eccl. in 6. Siquidem in conflictu Doctorum regula est, quòd prævaleat opinio Glossæ. Calcaeus conf. 6. num. 5. & 6. latè Fagnanus in cap. Cum vos, in fin. De offic. Ordin. tom. 2. & ratio est manifesta, quia percussio, & confusio homini illata in Ecclesia est cum horrore omnium, & cum maxima injuria loci Sacri.

Conclusio Tertia. Insidio vulnere extra Ecclesiam, si mors sequatur intra Ecclesiam, hæc non remanet polluta, quia non censetur injuria affectus locus Sacer. Ita eadem Glossa in cit. cap. Unico, & DD. plurimi concessi ab ipso Passerino d. disp. 5. cap. 5. num. 4. & seqq. ubi duo colligit notanda. Unum, quòd si quis existens extra Ecclesiam, exoneret scloppum contra hominem existentem in Ecclesia, & illum occidat, Ecclesia est polluta. Alterum, quòd si existens in Ecclesia pilas plumbeas ignitas immittat in hostem morantem extra Ecclesiam; hæc non remanet polluta; quia homicidium dicitur factum in loco, in quo erat homo occisus. Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 35. & 16. quamvis vulneratus confugeret in Ecclesiam, ac in ea effunderet sanguinem, & moreretur. Barbosa allegat. 28. num. 26. & 27. Quòd si vulnerato ferret in ostio Ecclesiæ, hæc non esset polluta, quia totum concavum muri factum pro ostio, dicitur esse extra Ecclesiam, ut probat Passerinus d. disp. 2. cap. 31.

Conclusio Quarta. Homicidium absque culpa, sed ex accidenti commissum in Ecclesia, illam non pollutat; debet enim esse factum cum culpa mortali; ut demonstrant DD. apud Passerinum d. disp. 5. cap. 8. num. 4. & 5. cap. 10. & cap. 11. itidem num. 4. Ideò homicidium Ecclesiam pollutat, factum cum culpa, etiamsi factum sit per errorem, ut si quis voluisset occidere Petrum, & occidisset Paulum; ut bene fultinet Bardi Discept. 6. de Conscientia, cap. 8. §. 2. num. 3. confutatis contrarium sententibus, quos allegat, & malè sequitur Passerinus d. disp. 5. cap. 3. num. 4. Est enim homicidium injustum, culpabile, & Ec-

& Ecclesiæ injuriosum; immò si sit homicidium factum in Ecclesia ex joco, vel ludo eam pollutat, si culpa non caret. Idem Passerinus d. disp. 5. cap. 14. n. 5. & multò magis si patratum sit animo deliberato. Culpa verò cessante, non intrat Ecclesiæ pollutio, ut si homicidium fiat à puero, ab æmante, à furioso, seu ex inculpabili inadvertentia. Barbosa alleg. 28. n. 6. & Jordanus d. lib. 5. tit. 11. num. 14. Quòd si in prædictis omnibus casibus versaremur in dubio; num culpa intercesserit, nec ne? Alii DD. tenent, pronuntiantium esse pro pollutione, alii pro non pollutione, ut referet idem Passerinus d. disp. 5. cap. 9. Tutor opinio est, arbitrandum esse ab Episcopo inspectis facti circumstantiis; & præcipuè si ageretur de abortu procurato in Ecclesia; & dubitaretur, an factus esset, vel non esset animatus? medicamenta, seu potiones habuissent energiam necandi infantem, nec ne? ut disputat Passerinus d. disp. 5. cap. 25. & DD. ibi per eum citati. De abortu videat Lector mea Erotemata Eccl. cap. 59.

Conclusio Quinta. Nòh polluit Ecclesiam homicidium patratum in ea cum moderamine inculpatae tutelæ, id est ad necessariam defensionem ipsius occidentis. Glossa d. c. Unico in prin. De Consecrat. Eccl. in 6. Abbas in cap. Proposuit, eod. tit. num. 2. Passerinus, qui innumeris DD. numerat d. disp. 5. cap. 29. In quibus autem consistit moderamine inculpatae tutelæ, id est licita aggressio occisio? videnda mea Erotemata prædicta cap. 131. num. 38. ubi docui tria requiri: 1. Æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, qui percussit pugno. 2. Ut incontinenti fiat repercussio, nam si post moram, dicitur vindicta. 3. Ut aliter aggressus non possit salvare vitam suam; aut, si nobilitatis sit, etiam vitam honorem. Bordon. Decif. 81. Si tamen homicidium fieret in Ecclesia jussu Judicis, et si cum sententia justa, nihilominus Ecclesia remaneret polluta, Gonzalez in Comment. d. cap. 7. de Consecrat. Eccl. num. 6. quia sententia executio est Ecclesiæ injuriosa ob irreverentiam loci Sacri.

Porro homicidium commissum in Ecclesia cum moderamine inculpatae tutelæ non solum ob defensionem propriæ vitæ, propriorum honorum, & honoris; sed etiam ad tuendam vitam, bona, & honorem proximi, non polluit Ecclesiam, concludit idem Passerinus, plures cumulatim Doctores ita sentientes d. disp. 5. cap. 31. 32. 33. & 34. etiam si fiat per duellum, seu disidium; sed circa hoc cautè est procedendum in casu practico; & diligenter discutenda materia cum suis circumstantiis, tam circa qualitatem personæ occidentis, quam circa quantitatem bonorum defensorum. Certum est autem, quòd ubi sit excessus moderaminis inculpatae tutelæ, Ecclesia remanet polluta. Sylvestre Verb. Consecratio Ecclesiæ. 2. num. 5. Barbosa allegat. 28. num. 19. & Jordanus d. lib. 5. tit. 12. nu. 30. Idem Passerinus d. disp. 5. cap. 36. & seq. in quibus alios consimiles casus examinat, Ecclesiæ pollutivus; inter quos si ibi occidatur à Marito mulier deprehensa in adulterio, vel bannitus, aut delinquens non gaudens immunitate loci Sacri; hi etenim sunt ab Ecclesia extrahendi, sed non in ea occidendi; item si quis seipsum occideret in Ecclesia, eam pollueret. Passerinus cap. 45. ibid.

Conclusio Sexta. Occisio Martyris, in Ecclesia illam pollutat; quia mors est injuriosa, eò magis est injuriosa, ut de S. Thoma Cantuariensi, & de S. Stanislaw. Jordanus d. lib. 5. tit. 12. n. 8. & Passerinus d. disp. 5. cap. 30. ubi notat, in tali sacrilegio casu, Sanguinem martyris esse devotè colligendum, ac fervendum; locum verò, in quo Sanguis cecidit, minimè lavandum esse, quumvis contrarium præcipiatur in homicidiis, vel vulneribus aliorum hominum. At si quis feriret Sacratissimam Hostiam, & ex ea Sanguis miraculose flueret, non pollueret Ecclesiam. Passerinus d. disp. 6. cap. 12.

Conclusio Septima. Quòd si modica esset effusio

sanguinis ob leve vulnus insitum in Ecclesia, non induceret pollutionem. Layman. lib. 5. traç. 5. cap. 5. num. 7. Passerinus disp. 6. cap. 2. n. 4. In dubio autem an vulnus sit leve, vel medicre, aut grave? standum est arbitrio Episcopi. Passerinus ibid. cap. 8. num. 4. ubi Doctores. Neque pollueretur, si vulnera etsi gravia inflingerentur cadaveri existenti in Ecclesia, ut contra plures contrarium docentes firmat Passerinus d. disp. 6. cap. 7. n. 4. Barbosa allegat. 28. num. 32. & Jordanus d. lib. 5. tit. 12. nu. 53. Utrum autem magna sanguinis effusio è naribus percussis in Ecclesia, eam polluat? non modica est Castitarum disputatio apud eundem Passerinum d. disp. 6. cap. 9. n. 3. & seqq. ubi utraque opinio relata adhæret affirmativæ, si percussio esset violenta, & injuriosa nimis, attenta præcipuè qualitate personarum; secus si inter pueros, vel alio modo modicum injurioso. Et affirmativam amplexus fuit Maceraten. Var. resol. lib. 1. resol. 112. casu 6. omnino videndus.

Conclusio Octava. Circa effusionem feminis humani, omnis humani feminis peccaminosa, & publica effusio polluit Ecclesiam. d. cap. Si motum, cap. Ecclesiæ, de Consecrat. dist. 1. cap. fin. de Consecrat. Eccl. c. Unico, eod. tit. in 6. cap. Significasti, 5. de Adult. Gonzalez in Comment. cap. Cœmeteria, num. 7. de Consecrat. Eccl. Passerinus de Pollut. Eccl. disp. 7. cap. 1. Per humani feminis effusionem, excluditur semen brutorum, ac mulierum menstrua; sed includitur semen tam virile, quam femineum, quocumque modo effusum, sive per carnalem copulam, sive per voluntariam pollutionem, aut peccando contra naturam, etsi non cadat in terram; dummodò sit voluntaria, & peccaminosa effusio cum publicitate. Passerinus, qui DD. cumulat d. disput. 7. à cap. 2. & seqq. præcipuè cap. 11. & cap. 12. ubi ajunt sufficere quantumcumque feminis effusionem, non etiam solam aliquam humectationem, vel distillationem penis. Idem Passerinus ibid. cap. 13. num. 4. Bonacia de Matrim. quest. 4. punct. ult. num. 19. quæ est illa Spadonum, & Eunuchorum utroque testis carentium. Sanchez de Matrimonio lib. 7. disp. 92. num. 17. Passerinus cap. 16. num. 4. Et quamvis de copula conjugali habita in Ecclesia, an per eam polluat locus sacer disputent Doctores? Concludunt omnes, Ecclesiam pollui ob irreverentiam loci Sacri, nisi conjuges ibi copulerent ex nimia necessitate ad incontinentiæ periculum evadendum. Gonzalez ad d. cap. Cœmeteria num. 7. De Consecrat. Eccl. Passerinus plurimos DD. numerans d. disp. 7. cap. 17. num. 4. & cap. 18. nu. 4. Et jure quidem; nam luxuriosos actus maximè Deus odit; & patrat in loco sacro gravissimè Majestatem Divinam offendunt. Hinc etiam gentiles carnalem copulam fieri in Templis Deorum non permittébant, ut pluribus exemplis ostendit Traquellus in leg. Conubial. XV. à num. 107. & seqq. subdens num. 109. etiam Mahometem, alioqui infandissimum legislatorem, in suo Alchorano hæc legem tulisse: In templis nullus sit cum feminis coitus. Et tarda non fuit Divina justitia vindicare tantam injuriam luxuriæ tentatæ in loco sacro; ut ex Spodiano ad Annum 874. n. 2. scribentem: Eodem anno cum Abdila Saracénorum Princeps ex Africa cum magno exercitu in Italiam veniens, Salernum obsidione circumfisset, Ecclesiamque SS. Martyrum Fortunati, Citi, & Amber, sibi in habitaculum deliquit super ipsum Altare statum parasset: dum illic relucèntem Virginem comprimeret conaretur, trabi è thò dclapsa. Licet præcè ab Altaris perpendicularo distans, impurissimum Arabem extinxit, illesè penitus Virgine. Juvenem libidinosa furentem infania, coituro in loco Sacro cum cadavere puellæ, quam ardentè adamaverat, ingens serpens innotuit, & necavit, teste Abdia in Hist. Apost. lib. 5. Sanctam Mariam Ægyptiacam, adhuc libidini vacantem, ne Templum ingrederetur, Divina Virtus impediit, ut ex VIII. PP. refert Bagatta in Ad.

in *Adminand. tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 3. num. 3.* ad-
dens *ibidem §. 4. num. 9.* quod anno 1630. operatus
quidam in Templo Divi Petri in Vaticano impurus
canticulas recitans, ex altissima machina lapis,
miserabiliter elisus, & comminutus occubuit.

Conclusio Nona. Polluitur Ecclesia, si in ea fe-
68 peliatur infidelis, seu excommunicatus excommuni-
catione majori, & publicè denunciatus. *cap. In con-
suetum. De Consecrat. Eccles. cap. Eccles. De Consecrat. tit. 1. Gonzalez in d. cap. Cameteria, num. 8. eod. tit. Diana part. 11. traç. 8. resol. 22. quæ in Coordinato refidet tom. 9. traç. 1. resol. 131. Murgæ Disquisition. moral. tom. 1. traç. 3. disquisit. 4. Passerinus d. traç. de Pollut. Eccles. disp. 8. cap. 1. 2. & seqq. qui cap. 3. num. 4. putat, per solum depositum factum de cadavere hæretici, vel infidelis in Ecclesia eam non pollui; sed malè, quia talia deposita sunt veræ sepulture, et temporales; & per ea inferitur injuria loco Sacro; & idè vfolatur, & polluitur; & quod dicitur de cadavere, procedit etiam de cineribus, vel de ossibus; omnia enim tamquam execranda sunt in-
de aufertur; & Ecclesia reconcilianda. Oportet autem excommunicatum esse publicè denunciatum, vel publicum clericum percussorem ad polluendam Ecclesiam; secus si sit occultus, vel minori excommuni-
catione ligatus. Passerin. d. disp. 8. cap. 7. & 8. vel si fuisset quis tantummodo ab Ecclesia interdix-
tus; hæc enim censura non causat pollutionem; quia Canones de ea non loquuntur. Passerin. cap. 10. num. 4. Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 121. et si il-
lum sepelientes in loco Sacro peccent mortaliter ob prohibitionem, de qua in cap. Is cui, de sent. Excom. in 6. Quod si Excommunicatus publicè denunciatus ante mortem signa contritionis dederit, est absolven-
dus statim, si reperitur Sacerdos, vel saltem post mortem, & deinde in loco sacro sepeliendus; secus si non habita absolutione; ea enim non data, polluitur Ecclesia. *cap. à nobis il 2. & ibi Glossa de sent. Excom. cap. Sacris. De Sepult. Samuelli de Sepult. traç. 2. Controvers. 9. num. 21. & 22. Passerinus d. disp. 8. cap. 18. n. 4. qui cap. 21. opinatur, non pollui Ecclesiam, si in ea sepeliatur puer non baptizatus, filius parentis Christiani; at contrarium tenet Suarez tom. 3. in 3. p. D. Thom. disp. 81. seç. 4. Casu quinto, nisi fœtus ante sepulturam matris esset mortuus in ejus utero, quia tunc reputaretur pars matris, & non pollueret Ecclesiam; prout neque eam polluunt Catechumeni, vel alii baptizati solo baptismo flaminis, vel sanguinis, si in Ecclesia sepeliatur. Passerinus d. disp. 8. cap. 23. & cap. 24. & cap. 25. qui tandem notat cap. 26. censeri pollutam Ecclesiam, & egere reconciliatione, prævia avulsione, & ejectione ossium infidelium, hæreticorum, & excommunicatorum, quamvis essent sepulti in illo solo, vel situ, in quo fabricatur Ecclesia, ante fabricationem; & jure quidem, nam cum talia ossa, & cadavera sint abominabilia, tenentur in Ecclesia non possunt; ut pluribus miraculis comprobant Historiæ Ecclesiasticæ; de quibus Bagatta d. tom. 2. lib. 7. cap. 1. §. 9. num. 8. ubi de quodam milite excommunicato in Diocesi Caturcensi, quinquies sepulto in loco sacro, & toties divina virtute ejectione in publicam viam; donec in profana terra fuit reconditus, & num. 10. De quodam Monacho Apostata, anathematis vinculo confictio, qui, cum incognitus navigans ad Indias obiisset in navi, projectus in mare, ab aquis reiectus, & à nautis sepultus in litore, postmodum super ipsum sepulchrum inhumatus apparuit; cui impensa absolutione à censuris, ossa tandem in tumulo quieverunt.**

Conclusio Decima. Alterantur Doctores, an cen-
senda sit polluta Ecclesia, quoniam consecravit, seu benedixit publicus excommunicatus, sive clericus per-
69 cussor? Negat Suarez d. tom. 3. disp. 81. seç. 4. casu quarto. Giballinus de Censuris Disquisit. 5. quest.

5. Proposit. 1. consil. 4. Henaut tom. 2. De Sacrific. Missæ, disp. 23. seç. 4. & Gonzalez in d. cap. Cameteria num. 8. ea ratione, quia talis pollutio non est expressa in jure; ergo non admittenda. Afirmat apud Barbosa de Jure Eccl. Univ. lib. 2. c. 4. n. 25. Abbas, Jo. Andreas, & Hostiensis in cap. Consuluti. De Consecrat. Eccles. & alii Casistæ relati d. n. 25. & per Jordanum illis adherentem d. lib. 5. tit. 12. num. 122. & opinantem opus esse reconciliatione; de quo casu, qui rarus est, judicantur Episcopi; vel à S. Congregatione Concilii petent resolutionem, expostitis circumstantiis, & præcipue, an consecrator fuerit hæreticus, servaveritvè formam, & ritus ab Ecclesia Catholica præscriptos, ut aliàs petatum fuisse, testatur Nicolaus Canon. Lucebrat. lib. 5. tit. 39. num. 254. vers. Quatuor casus.

Quod ad Quintum: Plures sunt effectus Pollutionis Ecclesiæ. Primus est, quod durante pollutione, & nondum facta reconciliatione, non possit in ea celebrari sacrosancta Missæ Sacrificium sub pena peccati mortalis. *cap. Is qui, ubi Glossa. De sent. excommunic. in 6. imò si Ecclesia polluitur, dum Sacerdos celebrat, si nondum ceperat Canonem, debet discedere ab Altari; si verò præcta consecratione, debet Missam prosequi ob integritatem Sacrificii; sed ea completa, non est amplius celebrandum, nisi Ecclesia reconcilietur.* Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 153. Secundus est, quod in eadem Ecclesia polluta horæ Candicæ non sunt recitandæ. *cap. fin. de Consecrat. Eccl. cap. Tuorum, & ibi Abbas n. 4. De Privileg. Tertius est prohibitio administratio-
63 nis Sacramentorum. d. cap. Tuorum. Passerinus d. Pollut. Eccles. disp. 9. cap. 7. num. 4. Excepto tamen Sacramento baptismi tam parvulis, quam adultis infirmis, & sanis. *cap. Quoniam. De sent. Excom. in 6. Passerinus ibid. cap. 12. & cap. 13. & excepto Sacramento Pœnitentiæ. Idem Passerinus alios cumulat cap. 19. num. 4. Quartus est, quod non liceat sanis administrare Eucharistiam in Ecclesia polluta; sed solummodo infirmis per Viaticum dari; quodcumque enim concessa est Pœnitentiæ, concessum censetur etiam Sacrum Viaticum. *cap. Quod int. De Pœnitent. & Remissio. Clem. Cum secundum, eod. tit. Passerinus d. disp. 9. cap. 20. Sed utrum deficientibus particulis, liceat celebrare in Ecclesia polluta, & consecrare pro Viatico administrando? Afirmat Passerinus cap. 24. num. 4. qui citat Jordanum hoc idem asserentem d. lib. 5. tit. 12. num. 147. Sed ibi non ita largè loquitur, sed conditionatè, nisi alia effect Ecclesia, in qua posset celebrari; subdit enim: ubi alia reperitur Ecclesia non violata, celebrandum esse in ea. Quintus effectus Pollutionis Ecclesiæ est, ut in ea non liceat administrare Sacramenta extreme Unctionis, Ordinis, & Matrimonii; quia de facili extra illam dantur vel differri possunt; quod dicit Passerinus in contrarium cap. 21. cap. 22. & cap. 23. siquidem cum in jure concedatur administratio Baptismi, Pœnitentiæ, & Viatici, cætera censentur prohibita; juxta Regulam, quod de uno conceditur, de alio denegatur. Glossa in cap. Non-
64 no, vers. Tacendo, de Præsumpt. Barbosa Axiom. 196. num. 20. Sextus effectus est, non esse licitum, in Ecclesiis pollutis ducere processionem publicam, exercere actus ordinum. Passerinus d. disp. 9. cap. 32. & seqq. Qui minus bene permittit cap. 36. 37. & 38. in Ecclesia polluta concionari, cantare publicè Te Deum, & Ecclesiasticas benedictiones facere; nam destruit horrorem illum, ac maestitiam, quam faciunt Canones intendunt incurrere in cordibus hominum ob irreverentiam commissam, & tam gravem injuriam illatam in loco Sacro per actiones pollutivas Ecclesiarum; quapropter prohibita spirituali lætitia, quæ habetur in Ecclesiis per decantationem Divinorum Officiorum, & celebrationem Missæ, censendæ sunt prohibite quæcumque aliæ Ecclesiasti-
cæ fun-***

tionibus, tendentes ad eandem spirituales lætiti-
am; nam prohibito uno, sunt etiam prohibita omnia, per quæ pervenitur ad illud unum. *cap. Cum quid prohibetur. 39. de Regul. Jur. in 6. Mascardus ad probat. concl. 102. aliàs ferret per indirectum, quod directè fieri non potest; contra juris regulam in l. Sena, & Augustus, ubi Bart. ff. ad leg. falcid. & docet Barbosa Axiom. 193. num. 5. Decet igitur in casu violatæ Ecclesiæ per pollutionem, eam clausam tenere, à sono Campanarum, & à quacumque celebritate vacare, præter supradictas omnino necessarias, ut in præxi ferri vidi in hac Civitate, Patavinæque Diocesi à Religiosis Rectoribus Ecclesiarum. Septimus effectus pollutionis est, ut ea durante fideles defuncti non sint sepeliendi in cœmeterio, vel Ecclesia polluta. *cap. Unico. De Consecrat. Eccl. vel Altar. in 6. Passerinus d. disp. 9. cap. 1. num. 2. & Barbosa allegat. 28. nu. 64. idem Passerinus d. disp. 9. cap. 47. ubi disputat, an saltem clerici, & aliæ personæ religiosæ possint sepeliri in Ecclesia polluta; & relatis quatuor diversis opinionibus Doctorem, tenet affirmativam opinionem, dummodo non sit alia Ecclesia, in qua tales personæ privilegiatè possint sepeliri; & nititur text. in cap. Quod in te. De Pœnitent. & Remissio. in quo conceditur tempore interdicti localis, clericis sepeliri in loco sacro; sine tamen Campanarum pulsatione, recitatione divini officii, & sub silentio. Quod si de facto laicorum corpora sepeliterentur in Ecclesia polluta, peccarent quidem illa ibi sepelientes; sed non essent exhumanda, nisi essent excommunicati. Theaurus de Pœnit. Eccl. part. 2. verb. Sacroilegium 3. vers. Illud advertit, & Passerinus d. disp. 9. cap. ult. nu. 4. Octavus, & ultimus effectus est; ut non servantes Præceptum, & excentes, quæ prohibita sunt in Ecclesia polluta, peccent mortaliter, & sint graviter puniendi ab Episcopo; quamvis nullam incurrant suspensionem, vel irregularitatem. Abbas in cap. Si Ecclesia num. 4. de Consecr. Eccl. Comitulus Resp. Moral. lib. 6. quest. 50. num. 4. Bellochius in præxi Moral. Theol. part. 2. 4. 44. num. 211. & Passerinus, plures cumulat disp. 10. cap. 1. & seqq. ubi examinat, an dari possit levitas materiæ excusans à peccato mortali illos, qui pollutionem Ecclesiæ contem-
65 nunt; ad quem Lectores remitto.**

Quod ad Ultimam: Si quævis, quibus remediis pollutio Ecclesiæ tollatur? Respondetur, unico remedio tolli, scilicet reconciliatione. *cap. Aqua. De Consecrat. Eccl. aliusque text. de quibus supra num. 28. quæ quidem reconciliatio, si Ecclesia erat priùs consecrata, à solo Episcopo est faciendâ. *cap. Propositi-
67 ssi eod. tit. Nisi ipse Papa habe facultatem simplicii Sacerdoti committeret. Rituale Rom. sub Rubric. de Reconciliation. Eccl. in fine pag. milii 437. vel à Sacra Congregatione Episcoporum alicui Sacerdoti in Dignitate constituto eam delegatè, usuro tamen aqua, vino, & cinere ab aliquo Episcopo benedicta. Nicolaus Lucebrat. Can. d. lib. 5. tit. 39. sub num. 257. Quod si Ecclesia fuisset non consecrata, sed benedicta, ejus reconciliatio de mandato Episcopi à simplicii Sacerdote, aqua simpliciter benedicta, fieri potest. *cap. Si Ecclesia, & ibi Glossa. De Consecrat. Eccl. Barbosa allegat. 28. num. 57. ubi DD. congrit; & Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 160.***

Cæterum hic tria dubia occurrunt. Primum est, an Superiores Regulares possint illas Ecclesias pollutas reconciliare, si fuerint consecratæ? Et responsio est affirmativa; si Episcopus distet per duas diastas, (id est per duorum dierum iter, quadraginta scilicet saltem miliaria) vel sit mortuus, aut infirmus, vel impeditus; & hoc vigore Privilegiorum Apostolicorum ipsius Regularibus concessorum, de quibus testatur Marchinus de Sacram. Ordin. traç. 3. p. 3. cap. 11. num. 14. Diana Coordinatus tom. 9. traç. 1. resol. 143. desumpta ex veteri part. 6. traç. 6. resol. 22. De Sacrificio Missæ.

Barbosa d. allegat. 28. nu. 64. Jo. Ant. Novarius in Summa Bullar. part. 1. Commentar. 101. Nicolaus d. lib. 5. tit. 39. num. 257. & novissimè Augustinus à Virgine Maria de Privilegiis Regularium Verb. Benedicere, num. 13. & num. 16. qui omnes addunt, sufficere in prædicto casu absentibus Episcopis, aquam lultralem ab ipsi Superioribus Regularibus benedictam adhiberi; sed ab ipsi hanc facultatem non posse alteri delegari, notat idem Novarius ubi supra n. 8.

Alterum dubium est, utrum Episcopus concedere possit, omnia reconciliatione, ut in Ecclesia polluta
69 celebraretur? & affirmativè respondent Moralistæ, quos longa manu recenset Passerinus de Pollut. Eccl. disp. 9. cap. 26. num. 1. urgente aliqua necessitate; veluti, si nulla alia esset Ecclesia, in qua populus, vel Moniales diebus festivis possent Missam audire; sive esset consecrandum pro communionem infirmi. Contrarium tamen mihi videtur dicendum, & omnino negandum id licere Episcopo; siquidem certum est, eum non posse operari contra dispositionem Sacrorum Canonum, Fagnanus in cap. Dilectus à num. 1. & seqq. de Tempor. Ordin. At in præsentia casu pollutionis Ecclesiæ sacri Canonum præcipiunt, eam esse reconciliandam per laicorum cum Aqua benedicta. *cap. Propositi. cap. Cameteria, & cap. fin. De Consecrat. Eccl. Item cap. Unico, eod. tit. in 6. & presces sunt adhibendæ, quæ statutz sunt tum in Pontificali, tum in Rituali Romano. Idcirco, si solo verbo, aut nutu Episcopo liceret mandare, ut in Ecclesia polluta celebraretur; in ejus facultate esset evertere, ac destruere Sacros Canones, & independenter operari à sanctionibus Pontificis, & à decretis Conciliorum generalium; quod nullus Catholicorum asseverabit. Dicendum est itaque, quod Episcopus celebrationem in Ecclesia polluta præcipere non possit; quod si urgeat gravis aliqua necessitas, vel ipse fatagat per se, vel per alium Ecclesiam reconciliari; vel potius concedat, ut celebretur in loco aliquo honesto, licet non sacro; quod ei permissum est à jure; ut melius reflectentes suggerunt Barbosa d. allegat. 28. num. 62. Gavantius in Manuali verb. Ecclesiæ reconciliatio num. 9. Jordanus d. lib. 5. tit. 12. num. 152. & Passerinus d. disp. 9. cap. 26. num. 4.*

Tertium dubium est, nunquid Ecclesia polluta
70 censetur reconciliata, si quis Sacerdos de facto in ea Missam celebraverit? Cui dubio respondet affirmativè Diana Coordinatus d. tom. 9. traç. 1. ref. 240. quæ refidet in veteri part. 11. traç. 2. ref. 59. ubi huic nimis laxæ opinionis asseclas citat. Sed contrarium docent Layman. lib. 5. traç. 5. de Sacrific. Missæ cap. 5. num. 13. Theaurus de Pœnit. part. 2. de verb. Sacroilegium 3. vers. Advertit etiam; Emin. Card. de Lugo De Sacram. Euchar. disp. 20. num. 91. & Novissimè Nicolaus d. Lucebrat. Can. lib. 5. tit. 39. num. 268. subdens ex Sayro lib. 3. cap. 16. num. 11. opinionem Dianæ esse omnino falsam, & erroneam; ideoque sive bona, sive mala fide quis celebrasset in Ecclesia polluta, opus esset subindè reconciliatione, juxta ritum præscriptum in Pontificali, & in Rituali Romano.

Corollarii loco duo sunt notanda: Unum, quod
71 Cæmeterii reconciliatio potest semper delegari simplicii Sacerdoti; quia cæmeterii nunquam consecrantur, non autem Ecclesia; tunc enim per reconciliationem Ecclesiæ censetur reconciliatum etiam Cæmeterium. Alterum est, quod Episcopus vadens extra Civitatem pro reconcilianda Ecclesia, potest recipere procuracionem; prout eam recipit, dum vadit, ad eam consecrandam. *cap. Cùm sit Romana 10. De Simonia; nisi Ecclesia ipsa, & populus nimia paupertate laboraret; tunc enim propriis expensis ire debet ad eam reconciliandam, ut ex responsis*

Sacr. Congregationis firmat idem Nicolius d. lib. 39. num. 259. Vel nisi auctor pollutionis effect dives, quia ipse effect condemnandus ad dictas expensas. Maceraten. Var. ref. d. lib. 1. ref. 112. cas. 12.

DECISIO XLVII. ARGUMENTUM.

Post ornatum Altarium, & Ecclesiarum, agitur de Sacerdotum ornamentis, quæ triplicia sunt, Interiora, Exteriora, & Mystica. Ornatus interior Sacerdotis stat in conscientia pura, sobrietate, & castitate. Cur, & quando Uxores prohibentur Ministris Sacris? Milites in castris an expediat, ut habeant uxores secum? Rationes tam contra, quam ad favorem cœlibatus Sacerdotum. Quare Græci habeant Uxores, & ex quo tempore? Exempla Ministrorum Altaris incontinentium punitorum. Cautela tres pro servanda castitate. Lapsus Virorum Sanctorum ob familiaritatem cum mulieribus. Eruditiones, & monitiones plurimæ pro hoc interiori ornatu Sacerdotum.

SUMMARIUM.

- 1 Ornamenta Sacerdotum quemnam sint?
- 2 Conscientia pura primus ornatu Sacerdotalis.
- 3 Sobrietas, & pudicitia sunt Sacerdotis ornamenta.
- 4 Matrimonia, vetita Ministris sacris. Et quo Jure? num. 5.
- 6 Apostoli celibes fuerunt.
- 7 Milites Romani sine uxoris usque ad tempora Severi Imperatoris.
- 8 P. F. Marcus de Aviano Capuccinus laudatus.
- 9 Uxores militum in obsequio Bude, & Taurini commendabiles.
- 10 Sacerdotes Aaronici quo tempore sacrificabant, ab uxoris abstinere.
- 11 Sacerdotes Gentilium castitatem servabant.
- 12 Sacerdotibus in lege nature, & Mosaicæ concessæ uxores.
- 13 Celibatus Sacerdotum quibus rationibus impugnetur?
- 14 Paphnutius in Nicæna Synodo an impugnaverit celibatum Clericorum?
- 15 Græci est ordinati in sacris habent suas Uxores.
- 16 Subdiaconi olim tenebant Uxores.
- 17 Uxores semper prohibita Ministris Sacris in Ecclesia Latina.
- 18 Celibatus clericorum quibus rationibus defendatur, & laudetur?
- 19 Castitas servata à Ministris sacris per tria prima secula.
- 20 Concilium Quinisextum Anno 692. concessit Uxores Ministris Sacris Ecclesie Orientalis.
- 21 Quinisextum Concilium cur sic dictum?
- 22 Subdiaconi, & Diaconi aliquando Uxores ducebant preteritum non promissæ castitatis.
- 23 Forum Solomon castitatis ubi, & quando adjuvum Ordinibus sacris.
- 24 Melchisedech fuit celebs, & continens.
- 25 Exempla Sacerdotum incontinentium punitorum à Deo.
- 26 Cautela tres pro castitate servanda à Ministris Sacris. Et quæ?
- 27 Jejunium necessarium pro castitate, & maceratio carnis.
- 28 Otium nocivum est castitati.
- 29 Ludi, & Venationes clericis prohibita.
- 30 Mulierum conversatio fugienda.
- 31 Sancti, qui soli neque cum fororibus loqui volebant, aut habitabant.
- 32 Lapsus in Luxuriam Virorum Sanctorum.

- 33 Mulierum cohabitatio cum clericis prohibita.
- 34 Gemellorum fratrum in utero Matris, si unus sit masculus, alius femina, medicorum observatio.

Et Gimus in præcedentibus Decisionibus de ornatu Ecclesiarum, & Altarium; demonstravimusque horum, & illarum ornamenta alia esse Ecclesiastica, quæ proveniunt ex præcepto Rubricarum; alia Regalia ex liberalitate fidelium; alia Moralia ex eorumdem devotione, & obsequio; & alia Legalia ex reverentia erga loca sacra; verum quia etiam ministri Ecclesie, & Altaris, nempe Sacerdotes, egent ornamentis, ut ritè, ac redè possint hostias offerre, ac sacrificare pro populo; idè in præsentibus breviter differendum est de Sacerdotum ornatu; qui quidem triplex est; videlicet

1. Ornatu interior.
2. Ornatu exterior.
3. Ornatu mixtu.

Et de singulis, quæ potiora sunt ad Cleri instructionem, hæc quæ sequuntur, sunt agnoscenda.

Quò ad primum: Ornatu interior Sacerdotis consistit in conscientia pura, non habente remissionem culpæ mortalis; sic enim Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. de quocumque communicato ait: Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere audeat: multo magis ornatu esse debet gratia Dei Sacerdotis, non tam communicatorum, sed Sacrificii facturus, attento ejusdem Sacri Concilii præcepto, sess. 22. de observ. & evitant. in celebr. Missæ Scilicet in hoc sacrosando Sacrificio peragendo, omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Et de hoc necessario ornatu gratie duplex est ratio; una, quia etiam in Legge Mosaicæ imposita erat poena mortis contra Sacerdotes agentes Sacra, si mundi non essent; ut legitur in Levitic. 22. 3. ubi: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Altera, quia Sacerdos ad Altare est mediator inter Deum, & populum; prout de se dixerat Moyses Deo. 5. Ego sequeror, & medius fui inter Dominum, & vos, in tempore illo; ad placabilem nempe reddendum Deum erga populum: at si mediator sit odibilis Principi, illum non placat; sed ad iracundiam magis provocat: c. In gravibus: 3. q. 7. ubi hæc sunt verba: Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur.

Supposita autem in Sacerdote lituræ existentia actualis gratiæ Dei; ornatu interior præcipue consistere debet in sobrietate, & in pudicitia, juxta monitionem S. Syrici Papæ, Epist. 1. ita scribens: Nos Sacerdotes omnes, atque Levite insubilibi lege confringimur, ut à die ordinationis nostræ Sobrietatis, ac Pudicitie & corda nostra mancipemus, & corpora; dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus Sacrificia, placeamus. Itaque pro sobrietate manifestum est, denotari jejunium, quod est omnino necessarium Sacerdoti Missam celebraturo; si quis enim aulus esset non jejunius celebrare, deponendus foret ab officio. Conc. Bracharen. 2. can. 10. cap. A crapula. De Vita, & honest. Cleric. Sarnelius tom. 1. Epist. 19. casus autem celebrandi sine jejunio docuimus in Decisionibus de Ven. Eucharistie Sacramento Decis. 3. & Decis. 52. Porro pro pudicitiam significat continentia, & castitas, qua prorsus fulgere debet Sacerdos, cui post susceptos ordines Sacros non solum vetitum est fornicariam copulam habere; sed ulterius neque Matrimonium inire; aut, si ante fornicium inisset, eo uti. cap. Diaconi. cap. Presbyter. dist. 28.

dist. 28. cap. Qui Cleric. cap. Si qui. De Cleric. Conjugat. cap. Unico De voto. & Post redempti. in 6. Extravag. Antiquæ. eod. tit. & Conc. Trid. sess. 24. can. 9. Et quamvis hæc prohibitio Levitis, & Sacerdotibus facta de non contrahendis nuptiis post susceptos ordines Sacros; vel de eis non exercendis; si ante ordines uxores duxissent, non fit de Jure Divino, sed tantum de Jure Ecclesiastico; ut bene probat Emin. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 3. De Sacram. Ordinis dist. 9. §. 5. & §. 6. Barbosa de Jure Eccl. lib. 1. cap. 37. num. 27. & 28. ubi DD. cumulat. Novissimè Gonzalez in Commentar. ad d. cap. Si qui Clericorum num. 3. De Clericis Conjug. adeo ut Papa possit dispensare cum habente ordines Sacros, ut matrimonium contrahat; (prout pluries dispensasse referit idem Emin. Card. de Lauræa, & casus, seu dispensationes in hoc præfente sæculo concessas referens d. dist. 9. art. 9. §. 5. num. 27.) nihilominus hæc ipsa prohibitio fundata est in sequentibus validissimis causis, rationibus, & auctoritatibus. Primò in exemplo Apostolorum; quos 6. annos vel absque uxoris fuisse, excepto Petro; vel, si quis prius uxorem duxisset ante Apostolatam, deinde ab usu conjugii abstinuisse demonstrat Emin. Cardin. Baronius Ann. 57. num. 59. Barbosa de Jure Eccl. lib. 1. cap. 38. num. 21. Gonzalez ad d. cap. 1. sub num. 3. ubi DD. De Cleric. Conjug. undè in lib. 6. consil. Apost. c. 17. sic est statutum: Episcopum, & Presbyterum, ac Diaconum ordinari præcipimus, qui sine monogami &c. Post ordinationem tamen, si uxores non habent, præcipimus; ut non liceat amplius ducere; & Sanctus Clemens Papa I. in Epistola prima, in qua protestatur, quòd omnia, quæ ibi refert, acceperit à Sancto Petro, inter alia hæc habet: Ad Domini autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas non erant; quòd si post ordinationem suam ministri Altaris contigerit propium irradere exibile uxoris, sacerdotii non inter hunc, nec Sacrificii partem fiat. Secundò, cœlibatus clericorum fundatur in doctrina Divi Pauli, qui scribens ad Timoth. Epist. 2. cap. 2. vers. 3. ait: Labora sicut bonus miles Christi Jesu: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Ex quibus verbis desumunt Interpretes, Sanctum Apostolum loquutum fuisse de matrimonio; à quo milites abstinebant, ut restantur Tacitus Annal. lib. 14. ubi plura Lipsius, & Diof. lib. 6. nec non Tertullianus in exhortatione ad castitatem; demonstrans, omnes milites fuisse celibes, quod etiam docuit Cornelius à Lapide in 2. Timoth. d. cap. 2. vers. 4. & novissimè Gonzalez ad d. c. Si qui clericorum. 1. clericis conjugatis num. 8. ubi pluribus eruditionibus hæc assertionem illustrat; subdens, quòd hæc laudabilem castitatem dilectissimus Severus Imperator lata lege expressè fuit Herodiano lib. 6. Hist. & idè Papias, (qui floruit temporibus Severi) asserit, postesse milites matrimonia contrahere in I. Filius 35. ff. de Ritu nuptiar. Et esse problemè disputabile habens hinc indè rationes, utrum expediat, milites in castris habere uxores suas? offendit mihi religiosissimus Pater Marcus de Aviano Capuccinus, qui Casares exercitus tamquam Missionarios Apostolicos comitatus fuit decem ab hinc annis in obsequio Bude, & arque Taurini; ajebat enim, quòd reverentibus militibus à pugna uxores cibum præparatum ministrabant, undè vires colligebant; & sanitatem tuebant magno cum Imperatoris, ac totius Reipublice Christianæ emolumento. Et ubi idem milites de Tauris reportarent victoriam in campis, uxores christianorum militum sollicitè erant in spoliis carpentibus ad maritum utilitate. Sed hæc obiter sint dicta. Tertiò continentia Cleri in lege gratiæ adhaeret præcepto, quod Deus fecerat in lege scripta; justè sicut enim Exod. 19. 22. quòd Sacerdotes, qui accedent ad Dominum Sanctificarentur, idè abstinerent ab uxoris; ut declarant expositores, & Tirinus d. De Sacrificio Missæ.

c. 19. vers. 10. Quare Abimelech, ut daret David, & militibus ejus manducare Sanctificatum Panem, requisivit, si mundi essent à mulieribus; 1. Reg. 21. hinc scripsit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. longè post med. hæc verba: Nam & in veteri lege, qui pro populo Hostias offerbant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoris separati; & vinum, & fœceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare. Et de Mathathia Summo Pontifice refert Josephus lib. 17. Antiquit. Judaic. c. 8. quòd ei non licuit Sacrificare, sed illi una die substitutus datus fuit ad Sacrificandum; quia nocte somnasset, se rem cum uxore sua habere; & de hac munditia, & continentia Aaronicorum Sacerdotum dictum est supra Decis. XXIII. num. 34. & antea quòd agendum esset, si Summus Pontifex ante festum Hippurim passus esset pollutionem? Decis. XXII. num. 28. Quòd fulcimen præstat continentiaë nostrorum Sacerdotum exemplum Gentilium, apud quos lege XII. Tabularum ita cavebatur: Divor caput adeo; immò & conjugio usque arcebat à suis Sacrificiis, teste Tibullo lib. 1. Eleg. prima: Vos quoque abesse præcui jubeo, discedite ab arvis, Quos talis besterna gaudia nocte Venus. Et de paganorum Sacerdotum requisita castitate differunt S. Clemens lib. 1. Stromat. S. Hieronym. lib. 2. in Jovinian. S. Augustinus serm. 37. ad fratres in Eremo. Et plura tradunt Alex. lib. 4. gen. cap. 17. Tiraquellus in leg. 3. Connub. ex nu. 76. Pamelius ad Tertullianum de exhort. casti. & Gonzalez ad d. c. 1. De clericis conjug. nu. 8. concludens: si hæc observabatur in Sacerdotibus tam Judaicæ, quam Gentilitate religionis, quanto magis Sacerdotes legit gratiæ, qui quotidie vero, & omnipotenti Deo Sacrificium offerunt, debent continentem vivere, à conjugioque avereri? Quòd adeo verum est, ut pluribus Sanctis Patribus vilum fuerit, ex sola nocturna illusione absque culpa eveniente, non esse licitum die sequenti celebrare, ut ex S. Augustino serm. 244. de Temp. & ex Cassiano Collat. 22. probat Emin. Cardin. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. c. 1. sub num. 4. Verum huic continentie, & castitatis legi, qua nos adstringimur, frequentia videntur obstrare. Primò, quòd in lege Nature Sacerdotes habebant uxores, ut vidimus Decis. VII. & sega. De Adamo, Noè, Abrahamo, ejusque posteris, qui Deo litabant, & eorum Sacrificia facta erant. Secunda, quia conjugium etiam in lege Mosaicæ Levitis, Sacerdotibus, & Pontificibus concedebatur; immò ipse Deus scriptis præcepit qualitates uxorum decendam ab eis, ut in Levit. cap. 21. non igitur interdicendum Sacerdotibus Evangelicis, ne ponderosè sit lex gratiæ, quam lex Moysis. Tertiò, quia Matrimonium 13 est Sacramentum, conferens gratiam. Concil. Trid. sess. 24. can. 1. Ergo nulli denegandum, non enim causat dedecus, sed honorem; & ab omnibus videtur suscipiendum, dicente Apostolo ad Hebr. cap. 13. vers. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quarto, quia ab eodem Apostolo censetur concessa uxor non tam clericis in sacris constitutis, atque Presbyteris, sed etiam Episcopis; ait enim in Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. vers. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate. Et in Epistola prima ad Corinthios cap. 7. vers. 2. subdit: Propter fornicationem autem, unusquisque propriam uxorem habeat. Quintò, quia in Canone sexto Apostolorum ordinatum est, ut Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abiciat. Quòd repetitum legitur in Decreto Gratiani. cap. Si quis docuerit. dist. 28. Sextò, quia in tribus primis sæculis ordinati in sacris utebantur conjugio; siquidem cum illud prohibere vellet Nicæna Synodus prima, Paphnutius Confessor contraxit, & suscitavit 14